AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS 4. IANVARII M. FRANCISCO DV PORT MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An εὔκρατον σῶμα tutissimum.

A Quatuor principum partium temperie, hominis æstimanda temperies, quæ qualis sit se notis prodit: nam in calido sicco cerebro exquisiti sensus, vigiliæ plurimæ, capitis calor, facies rubicundior, excrementa nulla vel pauca, pili ortu primo nascuntur crispi & nigri: in calido humido calor & color in facie florens & viuidus, ampliores venæ iuxta oculos, excrementa copiosa, accurati parum sensus, somnus vigilijs interceptus, plenus imaginum: huic calidarum & humidarum rerum vsus cum Austro bellum indixit: sed pro eo stant frigida sicca cum Aquilone qui corpora facit solida & ad motum expedita: in frigido sicco sensus ætate primâ accuratior, qui tamen sensim marcescit in secundâ: ætatisque progressu si siccitas frigiditatem vicerit caluities, si contra, canities orietur: in frigido humido, venæ delitescunt, tumet cum liuore facies, sensus tardior, somnus altior, catharrus frequentior.

COr pulsu, pulsus tactu iudicatur: si enim magnus & frequens calidum siccum, si velox & mollis calidum humidum, si durus & paruus frigidum siccum, si mollis & piger frigidum humidum. sanguinis parcitas, bilis copia, corporis siccitas, calidum siccum iecur arguunt at verò sanguinis vbertas, venarum amplitudo, præcordiorum hirsuties, calidum humidum: hoc putridis, illud biliosis opportunum morbis. Qui calidam siccam genitalium partium temperiem sortiti sunt, statim ab Ephebis affectant Venerem, quâ satiantur facillimè, semen ab ijs fæcundum ad masculos: qui calidam humidam, liberiore Veneris vsu non læduntur, semine abundant vberiore: quibus autem hę partes frigidæ humidæ sunt, ij non proni ad muliebrem copulam, semen tenue, aquosum, infœcundum nisi ad fœmellas: quibus frigidæ siccæ, parcum sed tamem crassum semen.

AEtatibvs sua sunt téperamenta, quę singula singulis anni quadris, & humoribus respondent, vt Adolescentia sanguinea Veri, Iuuentus biliosa Æstati, Inclinans ætas melácholica Autumno, Senectus pituitosa Hyemi, quorum temperamentorum si congener morbus fuerit oppugnator rarissimè futurus est expugnator: nec tamen obstat quin temperamentum quodlibet sui præferat facem morbi: & quamuis calidi humidi temperamento bonam temperamenti speciem præ tribus alijs sortiti sint, ideoq; salubrius viuere, fælicius nutriri Æstate & Hyeme melius habere videantur: Synanchæ tamen, Distillationi, Hæmoroïdibus, Peripneumonijs, laterum Compunctionibus, Opthalmijs sunt obnoxij: non secus ac calidi sicci febribus ardentibus quos in accessione, & ante accessionem impunè cibare poterimus.

COniiciendæ sunt vel ex totius corporis habitu [pinguiores siquidem frigidi, corpulentiores calidi] vel ex operationibus, vel ex regionibus, vel ex coloribus temperaturæ, inter quas calida humida longissimæ, frigida sicca breuissimæ vitæ censenda est: Atthletarum verò, licet hi bonis abundent humoribus, viresquè robustas habeant, non bonus, sed periculosus corporis est habitus, propter luxuriantem humoris copiam, quæ tamen non nisi cautè Medico soluenda est, ne plus periculi in euacuatione nimia, quam in primâ repletione contingat aliquando: debet itaque Medicus sanitatis opifex, omnem eò suam operam ducere, vt quamuis hominum, ad hominis bene temperati, temperaturam reducat.

IS verò bene temperatus dicitur, in quo sese habent decenter partes similares, instrumentariæ & quæ illas comitantur: partes similares tactu, visu iudicantur, tactu si quâdá mediocritate, tangentis manū demulceant, visu quòd colore viuido perfundantur: instrumentariæ, quòd numero, magnitudine, situ, figurâ constent, vnde concinna totius corporis pulchritudo nascatur. Tales moderatè appetunt, appetita beneuolè assumunt, assumpta fœliciter coquunt, cocta iustè distribuunt: artuum motu, sensuque vigent, non somnolenti, non peruigiles, prudentes, humani, candidi, non temerè sunt audaces, non ignauè timidi, non cunctatores, non præcipites, & qui ad id temperamenti, proprius accesserunt, tantò viuent salubrius, quantò qui ab eo recesserunt, insalubrius.

Ergo εὔκρατον σῶμα tutissimum.

Proponebat IOANNES LE FOVRNIER BELLOVACENSIS Anno Domini 1601.



227

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guillelmus l'Escaillon.
M. Nicolaus Jabot.
M. Anthonius de Cappe.

M. Simon Pietre Professor Regius.
M. Joannes Duret Med. Reg.
M. Georgius Cornuti.

M. Nicolaus Ellain.
M. Guillelmus Debaillou.
M. Hieronimus de Monanthueil Prof. Reg.

70
70 81
101 81
171

81
81
162